

mitteretur. Huc ergo in Fridericianam no-
stram translatus ; & illustri viro SAMVELI
STRYKIO, IC. celeberrimo, intimoque poten-
tissimi REGIS BORVSSIAE, DOMI-
NI nostri multum clementissimi, Consiliario,
Professori Publ. primario, ac Iuridici Collegii
Directori, Fautori & Collegæ nostro honora-
tissimo, commendatus ; breui post ingenii at-
que industriæ egregium specimen publica de
Auro Coronario disputatione edidit , quam
sub excellentissimi viri ac Collegæ nostri IO.
SAMVELIS STRYKII, Professoris Regii, & se-
renissimæ Viduæ Saxo-Isenacensis Confiliarii
Aulici , præsidio defendit. Quum ita prope
tertium annum in Academicis studiis transe-
gisset, iam in eo proposito constitutus ex svo-
RVM voluntate , vt in exteris quoque genti-
bus bene cœpta & longius producta studia
consummaret, ac quidquid sub alio cælo præ-
clarum ac dignum equestri est iuuentute, ob-
seruaret, & in vsum suum atque patriæ decer-
peret ac referret ; en subito morbo pustula-
rum , quem nemo facile effugerit , oppressus
ita fuit, vt nec præsentissima medicina ad ma-
lum valeret profligandum, quod in dies auge-
scebat adeo, vt vitæ finem imminere tam ipse
quam alii præsentirent. Deo itaque se præ-
buit, ac a plurimum reuerendo Collega no-

A 3

stro